

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 214

**Auteur(s) :** Anselm, Le Bec-Hellouin, Notre-Dame (abbé)

**Bénéficiaire(s) :** Chartres, Saint-Père (abbaye)

**Genre d'acte :** notice

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** [1078, septembre-1093, 6 mars]

**Lieu d'émission :** Chaumont-en-Vexin

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Notice relatant l'accord conclu entre les moines de Saint-Père de Chartres et ceux du Bec, par intermédiaire de l'archevêque de Rouen qui a envoyé une lettre aux moines de Chartres, sur l'église Notre-Dame située près de Liancourt dont le droit de sépulture et la dîme des habitants à l'intérieur des Fossés avait donné à Saint-Père le comte Gautier trente ans auparavant.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Guérard Benjamin, *Cartulaire de l'abbaye de Saint-Père de Chartres*, Paris, Crapelet (Collection de documents inédits sur l'histoire de France ; 1ère série. Histoire politique), 1840, 2 vol., t. 1, p. 236-237

## Dissertation critique

Abbatia d'Anselme, abbé du Bec.

Texte établi d'après a

In nomine sanctæ et individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Notum esse volumus omnibus christianæ religionis, tam præsentibus quam futuris, nos monachi sancti Petri cænobii Carnotensis, Guarnerius scilicet ac Joscelinus Ledonis Curte, quæ est cella præfati cenobii, sub abbate Eustachio militantes, qualiter lis et calumnia, quam nobis inferebant monachi Beccenses, finem acceperit in camera domus Pagani, filii Hugonis Franconis, apud castrum Calidi Montis. Ibi quidem aderat Anselmus, abbas cenobii Becci, et cum eo ex ejus monachis Gislebertus, ortus de genere Crispinorum, et Eustachius, prænomine Paganus ; aderant et meliores ex illo castro, tenentes placitum de presbitero ecclesiæ sanctæ Mariæ, quæ sita est inferius non longe a Ledonis Curte ; et volebant aut uxorem ejus illi excutere aut æcclesiam quæ illorum erat. In medio quoque placito ab archiepiscopo Rotomagensi missæ sunt nobis quædam litteræ, exorantes ut, pro archiepiscopi amore, decimas rerum et sepulturam nostræ ecclesiæ, quam a nostris hominibus accipiebamus, intra Fossatos cummanentibus, Beccensibus monachis redderemus. Quod cum castrenses, tam clerici quam laici, audissent, extranea eis res audita visa est, ut quod Gualterius comes sancto Petro, fere abhinc XXX annis et amplius, contulerat, et optimates ejus assensum præbuerant, a monachis, nuperrime æcclesiolam prædictam habentibus, injuste nobis tolleretur. Tunc omnes viva voce et indissimulato vultu testimonium præbuerunt, quod, ipsis videntibus et audientibus, comes Gualterius sancto Petro dederat sepulturam et decimam hominum intra Fossatos habitantium, videlicet de bubus, de ovibus, de asinis, de equis ; decimam quoque de terra quam monachi exararent ; decimam etiam aripenni ubi furnus olim fuerat

situs. Hoc audientes monachi, cum abbate suo, injustam caluniam deponentes, deinceps siluerunt. Testes hujus rei etiam curavimus subscribere : Manassem archipresbiterum ; Herbertum, Genricum, Gualterium, Sansonem, canonicos ; Odonem vicecomitem, Herbertum pincernam, Rodbertum præpositum, Rogerium militem, Givelinum ; Rodbertum, militem de marina.